

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Hrn. Erdmann Neumeisters, Pastoris zu St. Jacob in Hamburg
und Scholarchae, auch ... Ober Consistorial- und
Kirchen-Raths, Jubel-Predigt, welche ...**

Neumeister, Erdmann

Hamburg, [1747?]

VD18 13218840

Dn. Joh. Gottlob Carpzovius, S. Th. D. Et Superintend. Lubecens. Viro summe
Venerabili, & meritorum gloria incluto, Erdmanno Neumeistero, Theologo de
ecclesia puriori annis quinquaginta praeclare ...

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the Head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213164](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha33-1-213164)



Dr. JOH. GOTTLOB CARPZOVIVS,

S. TH. D. ET SUPERINTEND. LUBECENS.

Viro summe Venerabili, & meritorum
gloria incluto,

ERDMANNO NEUMEISTERO,

Theologo de ecclesia puriori annis quin-
quaginta præclare merito,

S. P. D.

Autor.

Quando in societatem venio eorum, qui ex animo hanc TIBI grātulan-
tur felicitatem, quod, divino beneficio, Jubilæum ministe-
riale, viribus integris, & applaudentibus bonis omnibus, qui
TE intimus norunt, solemini celebrare ritu datum sit, mirari subiit, cur
Deus O. M. qui, pro singulari *φιλανθρωπία* sua, Levitis olim veniam ætatis,
& missionem velut indulget, nihil tale sacerdotibus, aut Pontificibus sum-
mis concessisse legatur, verum officio fungi, & dignitate sua gaudere si-
verit, quoad vita permitteret & valetudo. De Levitis diserte præcipitur
Num. VIII, 24. *hoc est, quod ad Levitas pertinet: a nato viginti quinque annos
& deinceps, venito Levita ad militandum militiam in ministerio tentorii conventus:*
עור ומכן המישים שנה ישוב מצבא העבודה ולא יעבר עור
fuerit quinquaginta annos, revertetur a militia hujusmodi ministerii, ut non ministret
amplius. His gemella sunt, quæ Num. IV, 3. 23 30 35 39 43 47. fanci-
untur. Mentem legis declarant Hebræorum magistri, maxime R. Salo-
mo, ita commentatus: *עבודת משה בכתף אבל חזר הוא לנעילת שערים*
quando Textus habet: non ultra ministerium peraget, in-
tellige ministerium oneris portandi humeris suis: sed ipse circumit, ut claudat por-
tas, & ut cantet, atque plaustra oneret. Distingunt itaque, cum Aben Esra,
inter *עבודת משה* ministerium oneris, & inter *עבודת האהל* ministerium cul-
tus in tentorio peragendi; illud portando vel vehendo oneri dicatum fuisse;
hoc functionibus aliis, ad sacra, vel ad custodiam sanctuarii spectan-
tibus, vacasse observant. Ab illo cessasse, cui, post annum ætatis quin-
quagesimum, vires non suffecturas amplius credebatur; huic autem,
quoad vita suppeteret, operam semper navasse. Idem Drusius inculcat,
ad Num. IV, 3. annotans: *Militia sacra Levitarum constabat duobus muneribus.*
Unum erat munus ministrandi sacerdotibus in tabernaculo; alterum erat munus portan-
di tabernaculum, & vasa ejus, cum aliquo proficiscerentur. Hoc vocabant ministe-
rium oneris; ad quod apti censebantur anno ætatis trigesimo. A quinquagesimo au-
tem



tem anno rude donabantur, ut emeritus miles: non autem, vel a ministerio sacro removebantur, vel fratribus ministrantibus subjieiebantur: unde quod comm. 26. additur: וְשָׂרָת אֶת אֲחֵיו בְּאֶהָל מוֹעֵד *attamen servito fratribus suis*, obeuntibus militiam *in tentorio conventus*, Onkelos commodè exponit, עִם אֲחָוָיו *cum fratribus suis*. Honestioribus quippe adhibebantur ministeriis, ut cantum moderarentur, portas sanctuarii custodirent, ne quis βέβηλος irrueret aut immundus, imò & a consiliis essent fratribus suis, ut Paul. Fagius censet, & inspectionem haberent in ceteros, quod Junius & Tremellius existimant. Ista vero omnia eo tempore obtinebant, quo nondum stabilem fixamque sanctuarium nactum erat sedem; quæ postquam ei Hierosolymis obtigerat, istud quoque militiæ Leviticæ discrimen a Davide sublatum animadvertitur 1. Chron. XXIII, 25. sqq. Adeo itaque sollicitè cum sapientissimum Numen prospexisset Levitis, ut ætatis & virium haberet rationem, legeque caveret annali, ne ultra modum annorum gravarentur ministerio, ambiguus hæsi & suspensus, qui factum, ut sacerdotibus non pari consuluerit cura, iisque certam æque definierit ætatem, quam transgressi, a gravioribus officii partibus vacationem haberent. Non minus enim difficiliungebantur labore, in cædendis, disseccandis, & imponendis altari victimis pecudum majorum; cumque nudipedes in pavimento templi marmoreo obambulant, frequentibus gravissimisque implicabantur morbis. Hinc Obad. Bartenora inter causas varias, ex quibus sacerdotes dolore viscerum laborarent, hanc primo loco ponit: לְפִי שְׂכָרָהֵם הוֹלְכִים יָרְפִּים עַל הָרֶצֶפָה *quod sacerdotes incederent discalceati super pavimentum*. Erat quidem in templo בית המוֹכֵר *conclave foci, sive incendii*, de quo copiose Mischna tradit cod. *Middoth, cap. I. §. 6.* & largius adhuc *in b. l. Constantin. l'Empereur*. Hic frigore rigentes solabantur pedes, tum & a balneo redeuntés se calefaciebant abstergebantque sacerdotes: tantum tamen abest, istud ut ab omni frigore, vel valetudinis noxa, tutos præstaret & immunes, ut cum morbis sæpenumero conflictarentur, omnia sub dio & in strato lapideo ministeria obeuntés, & aqua frigida toties quotidie pedes abluentes, Exod. XXX, 19. 20. Accedebat, quod amictulis lineis leviter vestiti erant inter rem divinam, quæ exuere toties & sumere necesse habuerunt, quoties aut operationem intermittebant, aut ad eam redibant. Tum etiam stabant semper, neque sedere illis in toto atrio, in quo sacra fiebant, fas erat. Hinc languor venarumque inflatio, & mille mala. Quibus ut medela adhiberetur, delecti sunt, qui publice sacerdotum curarent valetudinem, quibus præerat, quem מְמוֹנֵה עַל הַחֹלִים *præfektum super agrotos* appellabant; ut ex Maimonide dudum monuit Petr. Cunnæus lib. II. *de republ. Hebr. cap. XIV. fin.* Horum itaque rationem habiturum fuisse Deum elementissimum, opineris, & ætate ingravescente, vacationem imperaturum a ministerio, valetudini adeo damnofo. Nihil



autem in hanc sententiam sancitum in Scripturis legimus, quin annis potius provectos, ac senio venerandos, deprehendimus sacerdotes, partium suarum strenue satagentes. Ut enim Pontifices taceam, Aaronem, Pinchasum, Eli, Azariam, qui Uziæ regi, suffitum affectanti, mascule restitit, & templi pariter ac officii sanctitatem tuitus, raræ longævitatæ beneficio mactatus fuisse perhibetur, & alios, qui ad decrepitam usque ætatem sua obierunt munia; in Novo cumprimis Instrumento Zacharias laudatur, πρωτοβαπτίς pater, qui licet προβεβηώς ἐν τοῖς ἡμέραις αὐτοῦ provectus ætate, non defugiebat tamen ἱερὰ τέλει ἐν τῇ τάξει τῆς ἐφημερίας αὐτοῦ ἐναντὶ τῷ Θεῷ, sacerdotio fungi in ordine sua classis, ante Deum, Luc. I, 7. sq. Causam eius rei silentio premit scriptura; Judæorum autem doctores rem ipsam probe perspexerunt, nullam tamen discriminis, inter sacerdotes & Levitas instituti, addiderunt explicationem. Ita quippe Talmudistæ, in Gemara Babylon. Tr. Cholin fol. 24 col. a. Aliquid, quod licitum est in sacerdotibus, illicitum est in Levitis: atque aliquid licitum in Levitis, illicitum est in Sacerdotibus. Tradunt Rabbini: Sacerdotes ob labem non sunt idonei ministerio, Levita ob labem sunt idonei, ob annos non idonei - - Ex illo enim quod dicitur: cum quinquagesimum ætatis annum expleverint, ministrare desinent: discimus, quod anni faciunt Levitas non idoneos - - Forsan & Sacerdotes redduntur non idonei per annos. Et nonne hoc æquum est? Nam si Levita, quos labes non reddit non-idoneos, redditi sunt non-idonei per superannuationem, nonne multo magis Sacerdotes redditi sunt non-idonei per superannuationem, qui sic redduntur per labem? At dicit Textus: hæc est lex Levitarum, non: hæc est lex Sacerdotum. - - Tradunt Rabbini: sacerdos a quo tempore primum pubescit, usque dum consenuerit, est idoneus, at labes reddit eum non-idoneum. Levita ab anno suo tricesimo ad quinquagesimum est idoneus, at superannuatio reddit eum non-idoneum. Eadem repetuntur in Commentario magno Rabbith dicto, in Bemidbar Rabba fol. 222. col. 3. et Latine conversa excitantur a Lightfooto in Horis Hebr. ad Luc. I, 18. Nobis, si mentem nostram expromere liceat, sublimior subfuisse ratio videtur, ex Theologia typica repetenda. Erant enim, cum Pontifex, tum gregarii sacerdotes, typi Jesu Christi, qui verus ac unicus sacerdos Novi Foederis, hostiam seipsum obtulit Deo, & suomet sanguine ingressus est in Sanctum, Paulo teste, qui in Ep. ad Hebr. solide & copiose hoc argumentum declaravit. Sane de representatione Christi per Pontificem, Braunius lib. II. de vest. Sacerdot. Hebr. cap. 16. & Biermannus in Mos. & Christ. lib. I. cap. 5. ex instituto egerunt: sacerdotum autem reliquorum convenientiam, verbo saltem indicasse satis habent, quod miror; Saubertus denique utriusque collationem sicco plane præterit pede. Velut autem Christum referebant in initiatione, vestitu, partibus officii & ceteris momentis, ita cumprimis in duratione. Per omnem itaque vitam fungebantur sacerdotio, ut docerent, Christum suo se sacerdotio nunquam abdicare, qui hac etiam parte, quod immortalis sit, et immutabile habeat sacerdotium,




tium, omnes istos typos longo post se intervallo relinquit. Ita nimirum commentatur Apostolus: ὁ δὲ, διὰ τὸ μένειν αὐτὸν εἰς τὸν αἰῶνα, ἀπαράβατον ἔχει τὴν ἱερωσύνην, ἵνα καὶ σώξῃ εἰς τὸ παντελὲς δύναται τὰς προσερχομένας δι' αὐτοῦ τῷ Θεῷ πάντοτε ζῶν, εἰς τὸ ὑπερεντυγχάνειν. Et si ergo decebat Ipsum hac quoque parte προτεύειν Col. I, 18. multumque omnes antecellere ex hominibus figuras; repræsentabant tamen eum, quoad poterant, ita ut, dum vita ipsis suppeteret et spiritus, sacerdotio fungerentur. Accedit moralis etiam causa, qua honori sacerdotum istud dedisse Deum crediderim, ne sanctum ingredi, & familiarius velut cum hero suo versari, atate prohiberentur. Sacerdotes enim sub illa oeconomia, non solum ministrorum, sed amicorum omnino & familiarium Dei rationem ac speciem habuisse, recte affirmat Campeg. Vitranga *Observation. sacr. Lib. II. cap. II. §. 8. p. 260 sq.* et si, adjecisse virum doctum, nollem, ipsos *ut partem Dei consideratos fuisse*, in quo citra dubium nimius est. In eo certe potissimum eorum officium consistebat, ut, præter preces, Deo ad aram offerrent sanguinem, & membra dissecta animantium. Nimirum, quod Dei erat, atque ad Deum duci debebat, ipsis in manus dabatur, ut Dei familiaribus & amicis. Id liquido ex notione vocis כהן, quæ sacerdotem notat, intelligitur. Verbum כהן Kihen enim, unde ortum trahit, in significatione propria & prima, *accedere, appropinquare*, juxta Coccejum in *Lex.* juxta laudatum modo Vitringam *Comment. in Jes. LXI, 11* *applicare, admove, arctare rei adjungere* designat; quod eodem redit utrumque. Hinc, de personis usurpatum, valet, se proxime personæ adjungere. Velut ergo ad dignitatem hominum spectat, si proxime ad imperantes accedunt, כהנים ideo dicti, *Satrapæ, Pro-Reges*, aut *intima admissionis Ministri*, ut Gen. XLI, 45. Potiphra כהן אֵן pro-Rex On, Exod. II, 26. Rehuel כהן מדין Pro-Rex Midjan, & cum primis 2. Sam. VIII, 18. filii Davidis כהנים salutantur, & 1. Chron XVIII, 17. הראשונים ליד המלך *proximi, vel primarii ad manus regis* explicantur: quos non Biblico solum, sed Romano quoque stylo, *Amicos Regis* dixeris, de quibus consuli potest Seldenus *lib. II. de Uxore Ebr. cap. 16. p. 143* Suetonius in *vita Titi cap. 7.* & ad *b. l.* Berneggerus, *Capitolinus in Pio*, Salmasius ad *Spartiani Hadrianum*, alii: ita multo magis ad honorem facit sacerdotum, quando respectu Dei כהנים dicuntur, quibus ἐγγίζειν τῷ Θεῷ *appropinquare Deo* licet, & familiaris ad Deum aditus, προσαγωγή & adjunctio patet. Quo autem diutius vitæ fruebantur usura, & quo frequentius rem sacram faciebant, eo inde redundabat in ipsos arctior cum Deo consuetudo, & major præ ceteris Israëlitis dignitas. Nec enim augustius & præstantius peragi a mortalibus potest opus, quam quo sanctissimo Numini exhibetur cultus. Quo itaque intervallo divina præstant humanis, eo honoris gradu eminent, qui Deo vacant, præ iis, quibus cum hominibus solum res est. Si autem atate ingravescentes, a sacris prohibiti fuissent sacerdotes Hebræi, deterioris multo conditionis fuissent



fuissent canis redditi, quam superiori & vegeta ætate, qua sacris operari integrum ipsis erat. Aliter se res habebat, si senectus מוֹסֵס *navum* aliquem, seu vitium corporis, afferret, quod עֲבוֹרָה פְּסוּלָה *ministerium* redderet illegitimum, cæcitatem puta, surditatem, tremorem artuum, & similia; tum ex lege Lev. XXI, 17. non vero ob annorum numerum, a functione muneris abstinabant. Insigni porro discrimine actiones distabant sacerdotales, nec opus habebant senes, ut graviora peragerent opera, quæ virium excedebant mensuram. In his cum sit mactatio, viro summo, Sam. Bocharto, non equidem ad stipulamur, quando Hieroz. P. I. lib. II. cap. XXIII. p. 32. victimarum mactationem sacerdotibus denegare prorsus videtur, quam Lev. I, comm. 5. ita exponit: & jugulabit, *supple jugulans, i. e. velis ipse, qui victimam de suo offerebat, vel ut volunt, Levita aliquis: quod colligi possent ex 2. Paral. XXX, 17. & XXXV, 10. 11. ubi Levita paschales agnos jugulant, sed sanguinem spargunt Sacerdotes. Sic apud Romanos, Sacerdos non jugulabat victimam, sed popa, aut victimarius, ad sacerdotis nutum. Velut autem pagana Romanorum superstitio morem sacrificandi, apud Hebræos receptum, non edocet aut evincit, ita sacerdotes veri Dei frequenter jugulasse ipsos & excoriasse, tum dissecuisse & in partes divisisse, dubio caret. Ut enim ministerium יָדָא sive festi Expiationis, nunc silentio præteream, quod a solo Pontifice peragebatur totum, Scriptura quoque alias jugulationem sacerdotibus diserte tribuit 2. Chron. XXIX, 20. 22. 24. Idem confirmat Philo, libro de victimis ex instituto hanc cultus partem describens, ubi de holocaustate asseruerat, offerentem ablutas manus capiti animantis imposuisse, p. 648. statim subiungit: καὶ μετὰ ταῦτα λαβὼν ἡς τῶν ἱερέων, κατὰ θυεῖω, tum aliquis sacerdos accipiat eam, & immolet. Sic lib. III. de vita Moysi p. 531. plebejos homines adduxisse refert victimas ad altare, quas tamen θυεῖω οἱ ἱερεῖς μάλιστα Sacerdotes, secus ac cum agno paschali moris est, quem νόμος προστάζει σύμπαν τὸ ἔθνος ἱερεύειν, τῶν κατὰ μέγος ἐκείνης τῆς ὑπερᾶνθ' ὅσας ἀνάγοντος τὸ το καὶ νεύοντες, lege jubente, tota gens sacrificat, dum pro se quisque mactat hostiam suis manibus. Taceo Christianos, quorum communi calculo, victimarum jugulatio ad sacerdotes spectabat, ni causas haberent, propter quas, ab offerente vel a Levita, occidi eas mallent. Ex quibus tamen omnibus intelligitur, mactationem sacerdotibus non necessario incubuisse, verum aliis demandari potuisse, maxime si per ætatem graves ejusmodi labores hi declinarent: modo sanguinem ad altare, præter sacerdotem, alius spargeret nemo. Hoc autem officio, quod principem in sacrificiis tenebat locum, vel filicernium defungi poterat; modo non alio ab altari arceretur impedimento. Nunc ut ad id redeam, de quo dicere exorsus sum, id ad honorem valuit Dei ministris, ipsis Numen benignissimum si & senectutem largiretur commodam & levem munis sacris aptam, & sacerdotii coronam כֹּהֵנָה כֶּתֶר servaret, compluribus lustris ornandam.*

Sed



Sed et in ecclesia Christiana idem contulit beneficium doctoribus bene multis, ut, ad ultimam fere senectam, cultum hero suo praearent acceptum, eoque uberiores coetus sacro afferrent fructum, quo largius provecta ipsorum aetas, tam experientiae rerumque usus ipsis incrementum, quam auctoritatis apud alios conciliavit pondus. Huc annalium ecclesiasticorum conditores divum referunt *Johannem* Apostolum, quem vivendo seculum integrum, impari licet calculo, superasse memorant; *Poly carpum* martyrem, qui coram Praeside religionis causam perorans, sex & octoginta annis sospitatori suo se servasse, testatus est; *Athanasium*, qui senio & laboribus fractus, incertum tamen quo aetatis anno, cursum finit; *Gregorium Nazianzenum*, qui, Suida teste, nonaginta vitae annos explevit, utut alii pauciores numerent: *Epiphanium*, quem Polybius in vita, CXV. aetatis annos, tribus mensibus excessisse perhibet; *Lactantium*, quem, Hieronymus, in extrema senectute diem obiisse, tradit. Ad propiora si respiciamus tempora, eaque cumprimis, quibus repurgatorum sacrorum lux affulsit, larga suppetit messis virorum, de coetu sanctiori egregie meritorum, e quibus quatuor praeter ceteris nominare liceat; e veteribus *Johannem Pfeffingerum*, Lipsiensem, & *Danielem Greserum*, Dresdensem praesulem, ex recentioribus autem, quos uterque nostrum in vivis adhuc venerati sumus, *Georgium Lehmannum*, denuo Lipsiensem, & *Christophor. Danielem Schreiterum*, Wurzensen Ephorum, qui singuli octogenariis majores, cum mortalium coetus eximerentur, ultra L. annorum spacium strenuam ecclesiae operam navarunt. Sed ne plures addam, otium mihi fecit indefessa meritissimi antecessoris mei, Georgii Henrici Goetzii, industria, qua in *Theologo Semiseculari*, ultra centum collegit ac descripsit viros doctos, qui quinquaginta & amplius annos in officio sacro cum laude consumserunt. Denique, ut in celeberrima Hamburgensium nos contineamus metropoli, domestica suppetunt exempla, *Johannis Schelhammeri*, Pastoris quondam Petrini, & *Petri Theodori Seelmanni*, ad aedem Mich. Pastoris, & Vener. Ordinis sui Senioris, in cujus elogio funebri plures laudantur Symmystae, quibus eadem ibi obtigit felicitas.

His cum auspiciatissime accedas, VIR SUMME VENERABILIS, applaudit TIBI merito, non Amplissima modo Respublica Hamburgensis, sed universus omnino, qua late patet, puriorum sacrorum coetus. Inter tot festivas acclamationes, mearum esse partium intellexi, affectum, quo TE prosequor & colo, publice testatum facere, & observantiae meae statuere monumentum. Non id a me expectabis, quod alias fert consuetudo, ut in Tuas excurram laudes, & virtutum meritorumque Tuorum agam praconem. Id etenim & ab aetate nostra, & ab amicitia, tot annorum usu cognita & explorata, alienum omnino existimo: nec defuturos certo confido, qui istam pro virili provinciam exornent. Pari potius TEcum pietate divinam veneror benignitatem, quae tot TE cumulavit



bonis, quot ne enarrandis quidem & percensendis, nedum pro dignitate celebrandis, vel ingenium par est, vel lingua. Si tot locorum officiorumque, quibus TE Deus præfecit, vicissitudines, si tot exhaustos & feliciter exantlatos labores, si tot in publicum emissas lucubrationes ac ingenii monumenta, si tot actos ex adversariis veritatis publicis pariter ac falsis fratribus triumphos, tot superatas persecutiones & adversitates, quibus nemo suffecerit, cui non robur & æs triplex circa pectus sit, tot etiam calamitates, quibus fidem & patientiam Tuam exploravit sapientissimum Numen, mente volvas & ponderes, habes profecto & IPSE, quod in laudem nominis divini celebres, & alii, quod in TE mirentur. Demississimas itaque grates supremo TEcum decerno Evergetæ, quod non modo, ex Hebræorum proverbio, bonum signum in domo sua, verum etiam illustre gratiæ suæ TE constituit documentum. Eundem ardentissimis in partes voco precibus, ut, pro immensa misericordia sua, & annos TIBI addat complures, & vires largiatur in dies novas, & laboribus faustos adspiret successus, ecclesiæ commoda ut diutissime promoveas & juves. Illam perpetim servet mentis serenitatem, quæ singulari beneficio propria TIBI & peculiaris est, nihilque diminuto gaudere TE finat sensuum usu: tum quoque ex splendidissimæ familiæ flore nova subinde redundare in TE jubeat felicitatis incrementa; donec tandem & meritorum gloria refertus, & quod ait Scriptura, satur dierum, ex militante in triumphantem accersitus cœtum, præmia referas a supremo agonotheta, non caduca, & annorum ambitu circumscripta, sed ineffabilia nullisque seculis finienda.

Tevotto!

Scripsi Lubecæ, d. XIX. Junii. A. R. S. MDCCXLVII.



Dn.